



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 280. Quantum tempus & qualiter consessum conjugibus ad deliberandum de religionis ingressu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

vavit ad efficaciam illam solvendi matrimonium; dein ab efficacia illa dirimendi matrimonium contrahendum ad efficaciam dirimendi matrimonium contractum non rectè inferitur, non tantum ex eo, quòd posterius, nimirum dissolvere matrimonium contractum sit quid majus, quàm impedire ne contrahatur; sed vel ex eo, quòd professio religiosa non secus ac clandestinitas, quòd sit impedimentum dirimens, non habeat ab intrinseco sive ab efficacia sibi indita, sive immediatè à Christo, sive ab Ecclesia seu Papa, sed veluti ab extrinseco, nimirum ab Ecclesia inhabilitante tales personas, nempe professos ad contrahendum validè matrimonium, ipsumque talem contractum irritante; professio verò vim solvendi matrimonium habet sibi intrinsicam; denique non multum ad rem facere videtur, quòd solennitas votorum sit immediatè à Jure Pontificio; cum vota solennia, non quia solennia sunt, sed quia constituunt statum religiosum solvunt matrimonium, ut patet in votis simplicibus Societatis, quæ etsi solennia non sunt, quia tamen constituunt verum religiosum, solvunt matrimonium ratum; quibus proinde, quam primùm à Papa elevata sunt, ad constituendum verum religiosum, dicta efficacia indita conferitur, ab eo, qui illam statui religioso indidit; non secus ac accidit in contractu, civili matrimoniali, cui, quam primùm elevatus est ad rationem Sacramenti, indita est vis causandi gratiam.

Quest. 280. Quantum tempus & qualiter concessum conjugibus ad deliberandum de religionis ingressu.

Resp. Post matrimonium contractum & non consummatum conceduntur conjugibus duo menses ad deliberandum de ingressu religionis, ita ut intra tempus illud non teneantur reddere debitum, ut constat ex *c. ex publico, de convers. conjug.* circa quæ plura notanda. Primò, duos illos menses concessos non ad ingressum religionis cum effectu seu ad professionem, ut Abb. in *cit. c. ex publico, num. 2.* Nav. *c. 16. num. 27.* & alii; sed ad ingressum in novitiatum seu assumptionem habitus; ita ut conjux manens in sæculo, antequam ad aliud matrimonium transire possit, expectare debeat toto novitiatu tempore, adeoque anno uno, vel etiam duobus, prout ordo unum tantummodo annum vel biennium habet, novitiatu, ita ut tempus hoc ex voluntate, conjugis actari seu abbreviari non debeat nec possit. Sanch. *l. 2. de mat. d. 24. num. 4.* Gutt. *c. 54. num. 11.* Pont. *l. 9. c. 9. num. 2.* Castrop. *cit. p. 2. §. 5. num. 2.* Laym. *l. c. sub num. 3.* Unde etiam inferitur, quòd, si conjux mox, ut attingit annos pubertatis, ingrediatur, debere alterum expectare usque ad annum 16. ætatis, ante quem is professionem emittere nequit. Sanch. Ponc. Castrop. *LL. cit.* Item quòd si conjux accipiat & admittat monasterium in commendam, in quo casu tenetur post sex menses ibidem profiteri, juxta præscriptum Trident. *sess. 25. c. 21.* debere alterum expectare per dictos sex menses.

R. P. Lew. *Jur. Can. Tomus IV.*

2. Secundò, bimestre hoc computandum à die contracti matrimonii duobus mensibus communiter occurrentibus completis, Sanch. *num. 3.* Castrop. *num. 4.* Pont. *num. 3.* cum communi; quòd autem *cit. c. ex publico.* bimestre illud computatum non fuerit à die contracti matrimonii, sed à die per Judicem designato, ideo factum, quia mulier illa prætendebat matrimonium esse nullum, adeoque à die, quo illud declaratum validum, designatum illi bimestre.

3. Tertio, posse hoc bimestra autoritate Judicis abbreviari vel prorogari, cum communi, ut Castrop. *num. 5.* affirmant Sanch. *num. 12.* Gutt. *num. 16.* Pont. *num. 8.* & seq. eò quòd bimestre hoc licet à lege præscribatur, ministerio Judices imponendum; tempus tamen à lege præscriptum & vel maximè imponendum per Judicem, ab eo ex causa urgente coactari vel prolongari potest. Pont. *num. 8.* Mol. *de primog. l. 2. c. 14. num. 19.* juxta *l. qui pro tribunali, de sent. & re judic. & ibi Bart. n. 4.*

4. Quarto; Quamvis transacto illo bimestri vel alio tempore à Juce præfinito, teneatur conjux conjugi reddere debitum (potestas enim conjugi per matrimonium acquisita in corpus conjugis restringi non debet ultra, quòd restrictio talis legitimo jure fundata est) non tamen ita actari conjugem ad reddendum debitum, consummandumque mox ab elapso tempore matrimonium, quin possit adhuc, si velit, ingredi religionem, eò quòd, quamdiu consummatum non est matrimonium, electio status religiosi concedatur, docet Castrop. *num. 6.* citatis Sanch. *l. 2. c. 24. num. 27.* Gutt. *c. 54. num. 19.* Coninck. *d. 16. du. 94. num. 49.* Hurt. *d. 8. diff. 8. num. 30.* & c. quòd tamen ita intelligendum crederem, si intra illud bimestre seu tempus præfinitum resolvisset se planè ad incundam religionem, & mox ab illo occuparetur in ea petenda; si enim ultra illud tempus pro deliberatione statutum prætextu ulterioris deliberationis differri posset pro libitu consummatio, sanè crearetur per hoc alteri conjugi magnum præjudicium; unde etiam sicut ingrediens religionem, si ibidem profiteri renuat, & aliam amplecti velit, ne conjugi relicto præjudicium creetur, potest Judex compellere præfixo termino, ut in una religione profiteatur, vel ad conjugem redeat, ut Castrop. *num. 3.* Cón. *d. 26. du. 4. num. 45.* Henriq. *l. 12. c. 5. num. 8.* Sanch. *d. 24. num. 9.* Pont. *cit. c. 9. n. 10.* & c. ita quoque Judex poterit compellere præfixo termino, ut novitiatum ingrediatur vel maneat cum conjuge, eique petenti debitum reddat, quare illud; quamdiu consummatum non est matrimonium, conceditur electio status religiosi; verum est, dum alter conjux non petit & voluit; quòd si tamen, ut expressè Laym. *l. c.* citatis gl. in *cit. c. ex publico v. intra duorum.* Sylv. *v. votum §. 9. 3. dicto 3.* Sanch. *l. c. num. 27.* vel sic injustè negato debito, transeat ad religionem, revocari non poterit.

5. Quintò, quòd si intra hoc tempus à jure vel Juce concessum maritus conjugem deliberantem de ingressu religionis per vim opprimat, matrimonium quidem reddi indissolubile quo

T

ad

ad vinculum, quippe per veram copulam consummatum, posse nihilominus uxorem invito etiam marito ingredi religionem & in ea profiteri, nisi, fortè aliunde V. G. propter educationem prolis prohibeatur, probabile esse, affirmat Laym. l. c. & sic doceri testatur à Sanch. d. 22. n. 26. Cón. l. c. du. 4. concl. 7. Rodriq. in sum. Tom. 1. e. 239. concl. 2. Sylv. l. c. & aliis apud Abb. in c. 2. de convers. conjug. in fine, aliis tamen apud Sanch. num. 5. docentibus contrarium; eò quod nemo sine culpa privari debeat jure suo quaesito, quale habet uxor, ut libera à reddendo debito intra bimestre ingredi possit religionem, nemo item ex sua iniquitate commodum referre potest, aut dolus ei patrocinari.

6. Sextò, dictum bimestre concedi omnibus conjugatis, tamen de religione incunda non cogitent, aut etiam propositum eam non ingrediendi habeant; adeoque non teneri ad reddendum intra illud debitum, tenent Sylv. v. debitum q. 1. cans. 4. Rosel. ibid. num. 2. Pont. l. 9. c. 9. num. 7. Sanch. l. 2. d. 24. num. 25. & apud hunc plures; eò quòd etsi illud propositum non habeant, possent tamen illud interea habere, & ut, dum desideria dilata crescunt, postmodum eum majore affectu jungantur; ob quas rationes hoc bimestre concessum esse, ajunt cum gl. in c. conjungis 27. q. 1. v. primam. Contrarium tamen probabilius & verius sentiunt. Laym. l. c. Castrop. l. c. num. 7. citatis Angel. v. debitum. num. 14. Cón. l. c. num. 43. Hurt. l. c. eò quòd à puncto contracti matrimonii conjuges teneantur sibi invicem reddere debitum, nisi Jure Pontificio ob bonum aliquod religionis aliquo tempore suspendatur hæc obligatio, jam verò nullis aliis conjugibus invenitur suspensa, nisi iis, qui de religionis ingressu cogitant seu deliberant; cum nullibi, nisi in cit. c. ex publico, illud bimestre concedatur, & ibi id solum concedatur conjugi, si ad religionem transire voluerit.

Quæst. 281. An matrimonium ratum infidelium durante utriusque infidelitate solvi possit.

R Esp. Negativè, Castrop. cit. p. 2. §. 3. n. 1. Pirh. ad tit. de Sponsal. num. 146. cum communi, imprimis enim non magis solvi potest mutua conjugum voluntate, quam matrimonium ratum fidelium, ut constat ex dictis; dein neque autoritate Principum, quibus subsunt infideles, cum hi nullam ad hanc dissolutionem à Deo potestatem acceperint; neque denique autoritate Papæ; cum hæc dissolutio sit actus aliquis jurisdictionis; jurisdictio autem & potestas Papæ se non extendat extra Ecclesiam, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 5. quid mihi de istis; qui foris sunt, judicare, contrarium est de matrimoniis hæreticorum, vide Tanner. l. c. du. 4. n. 72.

Quæst. 282. An matrimonium infidelium etiam consummatum, dum uterque, ad fidem convertitur, possit solvi autoritate Pontificis, intercedente justa causa.

R Esp. affirmativam teneri à Sanch. l. 2. d. 17. num. 2. Nav. l. 3. de const. de convers. infidel. conf. 1. aliàs 3. in solut. ad 2. du. num. 12. Pirh. l. c. eò quòd matrimonium infidelium, etiam

consummatum, cum non sit Sacramentum, nequidem habeat eandem firmitatem, quam matrimonium ratum fidelium, quod in sententia probabili solvi potest à Papa. Sed neque obstante, quòd post susceptum Baptismum ab iis fiat Sacramentum; cum, nisi post Baptismum denuo habitâ copulâ fuerit consummatum, reputetur adhuc tanquam matrimonium ratum fidelium, non attenda illa confirmatione facta ante Baptismum, ita Pirh. Negativam tanquam probabiliorè & veriorè tenent Castrop. l. c. num. 2. Cóninck. d. 26. du. 5. num. 66. Pont. l. 9. c. 4. num. 15. Azor. p. 2. l. 5. c. 2. §. his positus &c. eò quòd jam sit matrimonium fidelium consummatum (etsi consummatio tantum contigerit ante Baptismum) quod in nullo casu est solubile à Papa. Et esto non sit seu efficiatur post Baptismum Sacramentum, quòd plures probabiliter negant cum D. Thom. in 4. d. 29. q. 1. a. 1. ad 1. ubi dicit matrimonium infidelium esse Sacramentum non actu, sed habitu. Sanch. l. 2. d. 9. num. 5. Tanner. Tom. 4. d. 8. q. 2. du. 3. num. 51. quos citat & sequitur Pirh. de divor. num. 41. censentes effici Sacramentum, etiam non accedente novo consensu explicito, sed sufficiente consensu virtuali & implicito, quem actu habent, dum intendunt baptizari; adeoque virtualiter, & implicitè volunt, ut matrimonium prius contractum significet unionem Christi cum Ecclesia, ita ut hic consensus eo signo Baptismi expressus sit nova materia & forma hujus Sacramenti, & quamvis aliàs ad matrimonium de novo contrahendum inter eos, qui nunquam fuerunt conjuges, non sufficiat istiusmodi consensus implicitus & interpretativus, sufficiat tamen ad matrimonium illud, quod non est omnino novum, quòd ad substantiam, sed solum quasi novum in ratione Sacramenti. Esto, inquam, non sit aut efficiatur post Baptismum Sacramentum, adeoque nec aptum ad significandam illam Christi unionem cum Ecclesia per assumptionem carnis, nullus tamen adhuc est casus, in quo à Christo concedatur potestas dissolvendi matrimonium consummatum qualescunque, ad hæc tale matrimonium à priori, ut dictum in antecedentibus, non desumit illam suam indissolubilitatem à ratione Sacramenti, aut dictæ significationis.

Quæst. 283. An & qualiter solubile aut solvatur matrimonium infidelium, uno eorum converso ad fidem.

R Esp. primò; Solvitur matrimonium infidelium etiam consummatum quòd ad vinculum conjugale, uno eorum converso ad fidem, altero renuente converti, non nisi in triplici hoc casu; primò dum infidelis discedit, respiciens omnino convictum & cohabitationem cum conjuge fideli, adeoque facit discessionem physicam; idque non ob aliam causam legitimam, quam quia conjux ad fidem conversus est, c. quanto. c. gaudemus. h. 1. it. c. simili modo. c. si uxor. 28. q. 1. secundò; dum quidem non facit discessionem physicam, quia vult cohabitare; facit tamen discessionem moralem, quia non vult ei cohabitare sine contumelia creatori irrogata, quòd facit, si Deum vel Christum blasphemat, ejus nomen despicit, ejus laudes prohibet, conversionem domesti-